

MEDICO FELICI AC DOCTO

COLLEGÆ AMANTISSIMO

BARTHOLOMÆO-TUSSANO

LE CLERC,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI.

Solis in arte peritis Medicorum opera, nuncupari debere ſemper ſum arbitratus : cæteri namque homines nil omninò in arte noſtrâ ſapiunt: hanc itaque, Collega amantiſſime, qualemcumque Theſim nomini tuo ſacram volui, non tantùm ut amicitiæ publicum tibi darem teſtimonium; ſed & potiſſimùm ut mihi, inter autores forſitan ſoli, id contingat gaudii, quòd certus ſim ea, quæ tibi offero ſcripta, ab eo, cui offeruntur, intellecta fore.

ANTONIUS PETIT, D. M. P.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ quartâ mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. LX.

PRÆSIDE,

M. ANTONIO PETIT,

Doctore Medico, Theseos Autore.

An in curandis affectibus, qui puerperarum suppressis prioribus Lochiis superveniunt; sola Antiphlogistica?

I.



ATURAM masculorum benignam matrem, sævam verò fœminarum novercam, non immeritò dictam olim fuisse accepimus: his etenim ingenii vim corporisque robur largiri non tantùm amavit, sed eos etiam sedula, quantùm potuit, immunes à morbis præstare studuit; illas ità comparavit è contrario ut imbecillem debili in corpore animum gererent, atque easdem innumeris ferè voluit morbis obnoxias; mittas enim varia, quæ sobolescunt mala à menstruis purgationibus pravè se habentibus ,quot & quanta gravidarum, parturientium aut puerperarum capiti imminent accidentia ! Compertum observationibus volunt tertiam fermè mulierum partem horum sævitiâ de medio tolli; verùm nulla, ut frequentiora, sic & atrociora sunt illis quæ priorum lochiorum suppressioni natales debent.

Quæ post partum per muliebria fiunt evacuationes, illæ Lochia audiunt; & duplicis præsertim sunt generis: aliæ enim statim à partu fluere incipiunt & rubræ sivè sanguineæ appellari solent, quod reipsâ earum materies nil aliud sit præter ipsummet sanguinem modò pauciori, modò copiosiori lymphâ dilutum; aliæ dicuntur albæ ratione coloris quem referunt, aut secundariæ ex eo

quod prioribus ſuccedant. Ad perfectam autem uteri reſtitutionem etſi conferant ambæ; majoris tamen momenti priores eſſe poſterioribus meritò dixeris: his carere abſque imminenti vitæ periculo nulli puerperarum licet; plures verò videas non ità rarò quibus poſteriorum uſurâ frui non conceditur, quæ tamen vitam imò & ſanitatem ſervant incolumem.

Cùm ſemel ab uteri parte intimâ ſoluta fuit placenta atque foràs pulſæ ſunt ſecundinæ, maxima vis ſanguinis puri atque facilè concreſcentis erumpit; hanc fundunt hiantia vaſculorum oſtia, quorum cum placentæ vaſis anteà inoſculatorum ope utriuſque partis mutuum inſtituebatur commercium; ſenſim autem ſine ſenſû manantis copia cruoris minuitur, atque ille ſolutus magis apparet, ac tandem lymphæ rarioribus onuſtæ purpureis particulis atque ideò dilutè admodùm rubeſcenti locum facit: cujus mutationis in cauſâ eſt prompta & expedita poſt infantis & ſecundinarum expulſionem uteri contractio, quâ tubulorum ſtringuntur oſcula fitque ut rubris, craſſioribus nempè moleculis denegetur aditus, liber concedatur lymphaticis, quas ſubtiliores eſſe in confeſſo eſt apud omnes: prout verò plus minuſvè temporis in ſuâ contractione abſolvendâ inſumunt uterinæ fibræ, prima citius ceſſant Lochia, longiuſvè protrahuntur: hinc in quibuſdam accidit puerperis ut elapſis poſt partum non ità multis horis terminum accipiant illa, quæ in aliis ad tertium uſque diem & ultrà producuntur; igitur verſùs tertii hujuſce diei finem nova ſolet oriri rerum ſeries, eaque ſupervenit febris, quæ à lacte in motum acto nomen ſibi fecit: dum autem illa viget multoque lacte cum doloris ſenſu non exiguo tument mammæ, ceſſat ut plurimùm omnis per genitalia humorum effluxus, rarò in illis rediturus fœminis, quæ dulciſſimo naturæ obſequentes imperio, piam venerabundæ nutriendo infanti operam navare non dubitant; ſed qui fermè ſemper tritum relegit iter, ac de novo muliebria inundat in iſtis, quibus æs triplex circa pectus, & quæ bonorum indignatione dignæ, vile, proh pudor! & indecorum ſibi fingunt, quem ſinu exceperunt ſuo atque per novem menſes foverunt, hunc in lucem emiſſum proprio lacte nutrire; quod barbaræ gentes excogitare erubeſcerent, quod ipſæmet exhorreſcerent feræ, hoc ſibi vitio verti poſſe non autumat quidem mulier ad bonos humanioreſque mores aliundè compoſita; verùm ſerius ociuſvè pœnas ab illâ repetere ſatagit natura atque mille morbis ſuam ulciſcitur injuriam, à quibus immunes victuras nutrices eſſe ſtatuit. Re quidem verâ duobus à partu primis diebus ſors cunctas manet eadem: ſanguineam etenim omnes experiuntur evacuationem, & illa caſu multiplici poteſt in omnibus ſupprimi, quod ut accidit ſemel, morbi naſcuntur atrociſſimi, quorum ad curationem tritum maximè nocere Ariſtolochicorum uſum, ſolamque methodum antiphlogiſticam eſſe adhibendam ultrò confitebitur ille, qui morbos omnes ab his prioribus ſuppreſſis lochiis oriundos, verè inflammatorios eſſe cognoſcet.

I I.

VARIA porrò accidentia, quibus præbet natales priorum lochiorum ſuppreſſio, inflammationis adeò naturam redolent, ejuſque ſpeciem ità dilucidè exprimunt, ut mirari ſubeat Medicos pleroſque hanc prætermiſiſſe totoſque in eo fuiſſe ut intempeſtivo calidorum uſu deſideratam revocarent evacuationem; nullus etenim, niſi in rebus medicis planè hoſpes, neſcit excrementitios humores ſuis in conceptaculis præter naturam retentos inflammationem nunquam non concitare: ſic mammarum ductibus hærente lacte, tument extrà modum illæ, rubent, acuto dolore afficiuntur, ac nonnunquam in ſuppurationem abeunt: ſic Hepatitidem ſæpè ſæpius producit impedita quâvis de cauſâ bilis excretio: ſic Nephritidi ſolemne eſt originem ducere ab urinâ in ſecretorii renum canalibus impeditâ. Quid plura? Niſi prohiberet inſtituti operis ratio rem innumeris comprobare exemplis facillimum foret. Nunc verò ſi cætero-

rum humorum congeſtio inflammationem ſæpè ſæpius excitare valet, quid, cedò, ex ipſiuſmet excernendi ſanguinis coacervatione eveniet? Nonne, cùm à recto deflectit tramite, huic creando morbo aptus magis natus eſt ſanguis quàm alii corporis noſtri liquores? Nonne in praxi quotidiè obſervare datur menſtruas mulierum purgationes, ſi ſubitò cohibeantur, phlogoſim in uterum inducere. At quod innuere tantùm valent allegata rationum momenta, illud idem ſuadet cauſarum morbi dilucidatio; illæ namquè omnes ſuam exerunt actionem vel ſpaſmum fibris conciliando, vel humores denſando haudque meabiles efficiendo vel tandem utrumque ſimul producendo: porro talia præſtare inflammationi anſam præbere eſt. Has autem inter cauſas primas tenent vehementia animi pathemata, ut ſubitaneus terror, dolorve acutus, aut exultans præter modum lætitia, aliave id genus, quibus ſingulis patet ſpirituum inordinatos excitari motus, univerſum gravi ſuccuſſione agi nervorum ſyſtema & cunctis proindè fibris nimiam induci tenſionem, erethiſmum conciliari, hinc ergò fieri ut toto in corpore vaſa ſpaſmodicè conſtringantur, excernendis humoribus ponantur obices, atque ideò ſuo in tramite retardentur illi, demum ſiſtantur omninò, congerantur, tubulorum tunicas diſtendant, tumorem efforment, dolorem accerſant, calorem concitent, verbo inflammationem producant. Eadem efficit etiam calor immodicus quocumque modò excitetur in corpore; atque eò citiùs certiùſque hunc edit ille effectum, quod dum in fibrillas agit, eiſque morboſam impertitur tenſionem, humores ſimul denſat ac proindè congeſtioni aptiores reddit; quatenùs ſcilicet ſubtiliores eorum, à quibus pendet fluiditas, conſumit & diſſipat particulas. Modo non multùm abſimili vim exercent ſuam adſtringentia cum, (ut ſuus poſt partum ventri mammiſque ſervetur honos) incautè applicantur extùs, imprudentiusve intùs ſuſcipiuntur: non equidem avolare faciunt tenuem, quâ ſanguis ſolvitur, lympham, ſed hanc vi propriâ reddunt ſpiſſiorem eique conſequenter moras nectunt. Denique quantùm in ſiſtendis mulierum menſtruis purgationibus valet frigus, tantùm illud in ſupprimendis lochiis poſſe quotidiana evincit experientia; at quid inflammationibus ſuſcitandis frigore potentius ſic & expeditum magis? His forſan non abs re videbitur addere; nos nonnunquam prima obſervaviſſe ſuppreſſa Lochia propter nimiam uteri compreſſionem, fortiùs nempè, poſt excluſum fœtum, perperàm inſtitutâ deligatione abdomine conſtricto; quiſnam autem in viſcere multo ſanguine turgido ſit hujus compreſſionis effectus nemo non videt. Itaque perſpectis præcipuis lochiorum ſuppreſſorum cauſis, liquidò, ni fallor, conſtat eas omnes gignendæ inflammationi idoneas eſſe quam maximè. Nec eſt quod objicias poſt partum aliâ adhuc de cauſâ uteri evacuationes non numquam ſiſti, nimiâ ſcilicet alio in loco factâ excretione, ut immoderato, v. g. alvi fluxu. At velim animadvertas rarò admodum cauſam hanc in prioribus ſiſtendis lochiis, frequenter verò in ſecundariis ſupprimendis locum obtinere. Perpendendum inſuper, ſenſim ſine ſenſu, non autem brevi temporis intervallo & quaſi ſubitò illam agere; quo ſit ut plerumque lochiorum vices gerat ſuperveniens excretio. Sicque nullus naſcitur morbus, aut ſi quis datur, non ille in cohibito uterino fluxu, ſed in excretione de novo accidente ponitur.

III.

ETSI ad dignoſcendum tutòque determinandum morbi genium ea ſufficere poſſe videantur, quæ nos huc uſque docuit cauſarum ejuſdem ſedula exploratio, nè tamen ullus deinceps dubitandi ſubeat locus, illa confirmare juvat attentâ accidentium, quibus morbus ſtipatur, contemplatione; itaque cùm puerperam invadit ille, id eſt, cùm fluere prima deſinunt Lochia, ſubitaneus ingruit horror, quem febris excipit acutiſſima, ſævitiem exercitura ſuam donec priſtinus redintegretur per muliebria cruoris effluxus; alterave arte aut

naturâ cieatur evacuatio, quæ iftum fupplere valeat : dùm autem febris iftius igne ægrotans excandefcit mulier, lumborum capitifque immani excruciatur dolore, dirâ torquetur fiti, ac ingenti jactatur anxietate : huic ficcâ in cute deurens deprehenditur calor : huic fcintillantes vividiùs micant oculi : huic atrè rubent genæ : intereà fi pulfum explores, hunc jufto frequentiorem, durumque maximè invenies ; his porrò rerum in anguftiis, præfentem nifi citò afferat opem ars falutaris ; horrendis cum torminibus ventrem videas in graviffimum tumorem attolli, adeòque diftenditur ille fæpiùs, ut nec medentis explorantem manum perfentire, neque aliquandò ftragulorum pondus fuftinere queat fine vehementi doloris exacerbatione ; pauca eaque cruda tunc temporis ftillat urina, aut excernitur nulla ; diaphragmatis actionem cum lædat tumefactus venter, inde fit ut parva, difficilifque fit refpiratio : his tandem, procedente morbo, comites fe præbent delirium, convulfio, cordis palpitatio, uteri fuffocatio, & fyncope, quibus mors prænuntiatur proxima ; at quorfum hæc ? Ut fcilicet agnofcas quæ in medium adduximus, ea propria ac genuina vividæ inflammationis effe fymptomata, illam præfentem arguere, atque rectè adeo exprimere, ut nulla dentur alia, quibus morbum hunc medicis dignofcere liceat ; fic enim nafcitur inflammationum genus omne, eo incedit greffu, nec tandem aliter terminum accipit, quàm ceffat & definit fuccedens Lochiis fuppreffis abdominalis tumor ; enimverò inflammationi finem imponit vel refolutio, vel fuppuratio, vel gangræna ; triplici quoque hoc modo laudatum morbum nunquam non terminari ab omni ævo obfervarunt Practici : noftro autem in cafu, ficut in cæteris affectibus inflammatoriis, naturam primâ laudabilioríque viâ fe à malo liberaturam fpondet febris aliorumque fymptomatum fucceffiva remiffio ; imminentem verò præfagiunt fuppurationem, poft breves dolofafque inducias, febris nec non doloris recrudefcentia, cum vago atque fugaci horrore, &c. Gangrænam tandem ferpere monent pulfus intermittentis exilitas, fœtor oris, cadaverofa facies, lipothymia frequens, quorum præceffit adventum fubitanea ac fine caufa facta accidentium præcipuèque doloris ceffatio. Tot tantaque te movent rationum momenta affenfumque rapiunt : quæris tamen nùm memoratis contrarium quid indicent fecta demortuarum cadavera ? Minimè gentium. Plurima cultro anatomico fubjicere contigit, in plerifque uterum vidimus fubatro colore tinctum, tumidum ac partim gangrænodeum, partim gravi inflammatione affectum ; nec meliùs fe habebant vicinæ partes ; his ut habitus exterior idem, fic & fimilis affectio : in quibufdam, fed numero pauciffimis, collectam circa uterum, infimâ in pelvi, aliqualem purulenti ichoris copiam deprehendimus, vifceribus ut fuprà phlogofi laborantibus : vitam denique primis à partu diebus ideò cum morte commutare mulieres, quod ventris interiora corripiat gangræna, evincit toties ab ipfâmet plebe notata corporum citiffima corruptio, horrendaque putrefactio, quibus illa terræ ociùs mandare cogimur.

I V.

SI quid in arte noftrâ tanquam verum & inconcuffum fpectari poteft, illud certè quod huc ufque profecuti fumus, morbos nempè à cohibitis prioribus Lochiis oriundos verè inflammatorios effe ; undè colligendum neceffariò venit fola in his curandis ufurpanda effe Antiphlogiftica. Nec enim ad fanandas inflammationes cæteras ab humorum excernendorum retentione ortas alia in ufum vocant melioris notæ Practici ; & certè culpandus ille foret qui Nephritidis, exempli caufâ, curationem propinatis calidioribus Diureticis aufpicaretur : ille namque fcopum attingeret minimè : iftis inflammationem adaugeret atque novos urinæ expulfioni poneret obices, nedum præfentes tolleret ; & ideò fanguinis miffionibus repetitis, potu, balneis, laxantibus atque demulcentibus omnigenis hanc debellare omni ope atque operâ fatagunt ; apprimè gnari optimum

certiſſimumque in inflammationis remiſſione poſitum eſſe Diureticum; in eâdem quoque noſtro in caſu conſtitutum eſt unicum tutiſſimumque medicamen Ariſtolochicum: itaque tota in eo incumbat medentis cura ut vaſis inductam tollat criſpaturam, erethiſmum ſedet, quibus peractis brevì per laxata uterinorum vaſculorum oſtia ſponte manabit cruor, conveniens redintegrabitur excretio, aut ſaltem morbus, à quo maximè imminet periculi, terminabitur; age ergò, largâque manu ſanguinem mittere ne dubites: id enim exinde non tantum percipies emolumenti, quod enarrata præſtare continget, ſed quod etiam redundantem, propter ſublatam evacuationem, ſanguinis copiam ac ſtrages undique minantem, hâc ratione ſubducere valebis: potus ſit intereà copioſus, tenuis, atque demulcens; frequentia eaque minimè acria injiciantur enemata; emollientibus foveatur infimus venter, foveantur & genitalia... At gravem de ſanguinis miſſione potiùs è ſaphenâ quam è brachio celebrandâ, moveri aiunt controverſiam, quam quidem pauciſſimis dirimendam ſuſcipimus: enimverò primis morbi temporibus ſanguinem præſtat è brachio fundere, atque ad phlebotomiam in inferioribus inſtitutam tunc ſolummodo confugere licet, cum in brachio ſecta jam pluries fuerit vena: nam cum in abdomine deſævit inflammatio, ſanguinem ad inferiora derivare perindè foret ac irruenti morbo calcar admovere. Numquid igitur antiphlogiſticis ita per totum morbi decurſum inſiſtendum, ut ulla alterius generis locum obtinere nequeant medicamina? Abſit ut ex dictis tale quid cenſeas deducendum; cum etenim fracta ſemel fuerit morbi violentia, fuerint etiam depleta ut decet, atque laxata vaſa, tunc tardigrado ſanguini moraſque in utero nectenti ut momentum adjiciatur, quo excitatus ille circuitum poſſit renovare, nil vetat, imò ſuadent ratio & fauſtus frequensque rerum uſus: quin & feliciſſimo cum ſucceſſu temperatum tunc temporis propinare emeticum non unâ vice mihi contigit.

V.

PONDERATIS ergò mox in medium prolatis rationum momentis, jam cognoſcere poteſt unuſquiſque quàm graviter hallucinentur illi, qui poſthabitis, quæ laudavimus, auxiliis, omne ſe tuliſſe punctum in tractandis ſuprà enarratis affectibus ſibi fingunt, cum plenâ manu elixiria, tincturas totamque Emmenagogorum farraginem propinarunt. O præjudicatis opinionibus obcœcati homines! Qui non vident hanc, quam revocare ſtudent evacuationem talibus magis impediri fortiuſque cohiberi; quandoquidem iſtis vires inflammationi adduntur; enimverò remediorum, rectiùs dicam, venenorum iſtorum vi fibrarum adeò ſpaſmus intenditur, ut ulterioris diſtractionis impotentes illæ omninò tandem rumpantur, hincque eveniat ut impete facto extrà vaſa prorumpant liquores, per cellularem contextum confusè rapiantur ac diſſeminentur, hìc loci coeant, brevi alterationem patiantur, putreſcant; vicina contagio afficiant, gangrænam tandem mortemque accerſant; dicam enim quod res eſt; ab hâc præpoſterè adhibitâ methodo repetenda potiſſimum veniunt numeroſa adeò puerperarum funera: certè, ut in aliis benè multis caſibus, ſic in illis ſatiùs multò foret integram rem naturæ committere, quàm inconcinnâ agendi ratione illam à ſcopo divertere; plurimas namque ſalvas incolumeſque præſtaret fœminas naturæ ſolius vis & actio, dum ad orci fauces trudit contrà ferè omnes malè inſtitutus minimeque temperatus Pharmacorum uſus. Non diffitendum tamen infauſtum adeò exitum non ità ſæpè morbos, de quibus egimus, experturos, ſi ſoli ad opem ægrotantibus puerperis ferendam advocarentur Medici: illi namque artis dogmatum probè gnari, & genuinam morbi naturam aſſequi & ejus ferocitatem idoneis debellare remediis apprimè callent: nec optimos inter Collegas deſunt, qui feliciſſimâ praxi eam ſtabiliunt medendi normam, quam legitimam invictis

probavimus argumentis: verùm noſtrâ potiſſimùm in Galliâ, ubi ad oſtentationem & pompam potiùs quàm ad uſum civiumque obligationem ſapientiores, quæ præſertim Medicinam ſpectant, leges conditas diceres, ignavâ obſtetricantium turbâ ab ægrotantium puerperarum cubiculis vel omninò arcentur Medici, vel poſtquàm in adminiſtrandis inanibus remediis, veneniſve propinandis tempus trivit muliercularum garrula gens, auxiliatricem ut illi moribundis operam conferant accerſuntur roganturque; non enim pharmaca quævis dare ſoli audent Chirurgi, Pharmacopolæ, Monachi, &c. Sed & obſtetrices ipſæmet, quamvis litterulas à pueritiâ vix didicerint, nihilominus tamen gravidarum, parturientium atque puerperarum morbos curare, ſui eſſe juris autumant & tractandos reipſâ ſibi aſſumunt per mortes experimenta facturæ; tantis medela malis non ab aliis fortè quàm ab ipſiſmet medicis ſpectanda venit; itâ enim ſunt homines comparati, ut apud illos nullus extiterit rerum abuſus vel enormis quam maximè, qui cum longâ conſecratus fuerit annorum ſerie, rationi apprimè conſentire non videatur ac pro legitimâ agendi normâ tandem non habeatur: rem igitur reſtituerent noſtrates Medici, ſi ſibi proponerent imitandos Angliæ & Bataviæ Doctores, qui Ruiſchii, Deventeri, Douglaſſii veſtigia prementes, exercendæ obſtetriciæ arti operam navare non erubeſcunt; quò plures etenim inter ſe diverſi in arte quâlibet exiſtunt miniſtri, eò deteriùs artem exerceri certiſſimum eſt. Imperatorum ducumque ſervi, pediſſequi, commeatuum ductores, opifices, impedimenta exercitûs olim dicti fuêre: ego verò obſtetrices, herbarios, &c. Medicorum impedimenta dico, quibus ut illi, ſi ſapiunt, cum bonis reipublicæ rebus, ſeſe tandem liberent futurum ſpero & ex prælibatis concludo.

Ergò in curandis affectibus, qui puerperarum ſuppreſſis prioribus Lochiis ſuperveniunt, ſola Antiphlogiſtica.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bernardus-Nicolaus Bertrand, Chirurgiæ Profeſſor deſignatus.

M. Stephanus-Ludovicus Geoffroy.

M. Dionyſius Pautier de la Breuille.

M. Natalis Andreas Joannes-Baptiſta Cheſneau.

M. Joannes-Franciſcus Paris.

M. Dioniſius-Claudius Doulcet.

M. Joannes le Thieullier.

M. Jacobus Verdelhan des Moles, Sereniſſimi Principis Condæi Conſiliarius & Medicus.

M. Ludovicus-Renatus Desbois.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS DUSSANS, Atyrenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1760.

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ Quillau, Univerſitatis & Facultatis Med. Typographi, 1760.